



# The Holy See

---

**PAULUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA NAIROBIENSIS - ELDORETENSIS - KISUMUENSIS**

**(NAKURENSIS)\*** QUIBUSDAM TERRITORIIS DETRACTIS AB ECCLESIIS NAIROBIENSI, ELDORETENSI, ATQUE KISUMUENSI, NOVA DIOECESIS CONSTITUITUR «NAKURENSIS» APPELLANDA. Quam curam sollicitus pater familias in filiorum utilitates intendit, quibus sane nihil, ne oculos quidem, carius habet, eandem profecto Nos et multo graviolem habemus, quibus non una familia, aut populus, aut natio singularis commissa est gubernanda, sed omnis Christi plebs, seu «gens sancta» (*Ptr.* 1, 2, 9,), late diffusa in omnes undique partes; cuius necessitatibus si quid cotidie providerimus et perspexerimus, quantum res poscit vel condicio rerum exigit, iam Christi iussioni de recte pascendo grege Nos satis fecisse gaudemus. Quam ob rem, cum Sacra Congregatio Christiano Nomini Propagando, post auditum venerabilem Fratrem Vidonem Del Mestri, Archiepiscopum titulo Tuscamiensem atque olim in Kenya Pro-Nuntium Apostolicum, item sacros Praesules locorum, quos res interesset, censuerit bene fieri, si detractis territoriis nonnullis a circumscriptionibus ecclesiasticis Nairobiensi, Eldoretensi, atque Kisumuensi, nova ibi loci conderetur dioecesis, Nos re bene reputata, haec quae sequuntur decernimus atque iubemus. Territoria vulgari lingua Nakuru District et Kericho District cognominata a tribus illis Ecclesiis separamus, eaque in novae dioecesis formam redigimus, ab urbe principe Districtus Nakuru *Nakurensis* appellandae, eamque curis Sodalium Societatis Sancti Patricii pro Missionibus ad Exteros committimus gubernandam atque moderandam. Quos quidem paterne hortamur ut nihil omnino omittant laboris finibus christiani regni propagandis. Hanc novam Ecclesiam suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Nairobiensi, ad normam iuris. Ad cetera autem, quae sive regimen respiciant, sive cives, sive res novae dioecesis, similia, praescripta Codicis Iuris Canonici ad amussim serventur. Item documenta et acta, quae ad modo conditam Sedem pertinent, ad eius Curiam episcopalem cito mittantur, inque tabulario rerum religiosarum diligentissime serventur. Ceterum, quae per has Litteras mandavimus, ille exsequi curabit, qui tempore executionis munere Pro-Nuntii seu Nuntii fungetur, vel quem ipse legaverit. Re vero acta, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Christiano Nomini Propagando cito mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis

impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die undecimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri quinto.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA <i>S. R. E. Cancellarius</i>	GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN <i>S. Congr. de Prop. Fide Praefectus</i>
--	--

Franciscus Tinello  
*Apostolicam Cancellariam Regens*

Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot. Apost.*  
 Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. LX (1968), n. 6, pp. 319-320

© Copyright 1968 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana